

sistit & actus propriè vereq; humanos, tametsi immanentes, edit;
qvo in casu status humanitatis est & manet absolutus.

TH. XI.

II. Status
Humani-
tatis.

Hinc ille consistit h. l. in usu Rationis, sive hæc actuet seipsum,
sive facultatem locomotivam & appetitivam moderetur.

TH. XII.

Tametsi verò duo hi Status, juxta haec tenus dicta è facultati-
bus rationalibus & sensitivis fluant; hoc tamen loco perinde est,
sive illæ distinctarum animarum (sensitivæ atq; rationalis,) sive
unius (solius rationalis,) in nobis dicantur esse. Qvemadmodum
etiam jam abstinere possumus à qvæstione: qvomodo facultates
animæ rationalis tūm à se tūm ab Animâ ipsâ differant? Qvæcunq;
enim ex sententiis adversis hîc assumatur, Biga tamen Statuum No-
strorum, duplicitibus nimirum facultatibus innixa, salva manebit
atq; integra. Qvanquam dissimulare nolumus, à nobis aliàs uni-
cam in homine animam statui, interq; hanc & facultates ejus, imò
inter facultates ipsas formale tantùm discriminem admitti. Sed hac
de re alibi.

TH. XIII.

Præterea hi duo Status, qvamcunq; è modo dictis contro-
versis opinionibus assumas, nobis intrinseci sunt, & uti anima,
ejusq; facultates, ipsi qvoq; nobis congeniti. Contrà Status Christia-
nismi, qvî hîc à nobis adjicitur, extrinsecus supervenit, indeq;
cùm priores duo omnibus hominibus sint communes, hic tertius
nobis, qvi Christo nomen dedimus, competit solis.

TH. XIV.

Potest verò & hîc Status considerari dupliciter; *vel* *absolutè*
ac in se, prout complectitur ea omnia, qvæ ad Christianam Religi-
onem pertinent; *vel* *respectivè*, in quantum Statum humanitatis,
hodiè in Statu corrupto valdè præcipitem & erroribus obnoxium
emendat & corrigit, sicq; in nobis haud parum præ aliis reddit
perfectiorem. *Primo* modo, uti est amplissimus, ita pro scopo ha-
bet spiritualia, ipsamq; vitam æternam: *Secundo*, longè strictior
est, & ad sola moralia respicit, inq; hâc vitâ terminatur.

TH. XV.

Ex his cùm primus SS. Theologiæ omnino sit relinqvendus;
secundus tamen Philosophiæ non est invidendus, qvamdiu Christia-
nam